

hospitali domo cum area sua in habitationem claustralem commutata et quadam claustrali area in ius et usum hospitalis per cambitionem recepta. Nos itaque bonum eius propositum favore nostro promovere cupientes curtem quandam in Luthingesheim cum decima et advocatia eiusdem curtis cunctisque suis attinentiis a quodam nobili Reinberto videlicet de Rykelinge, qui eandem curtem a nobis nomine feodi tenuit, datis ei LX duabus marcis argenti penitus liberam reddidimus et pro anime nostre remedio ac studiosa supramemorati prepositi et cancellarii petitione in perpetuam possessionem pauperum hospitalis stabili iure proprietatis redegimus. Theloneum quoque, quod ad predictum pontem hactenus per vim et iniuriam exigere videbatur, ipsius admonitu et voluntate camerarii nostri libenti laudamento et refutatione per omne in posterum tempus remisimus, lignorum curribus ab hac tantum exceptione remotis, que nos in aream thelonearii ponti adiacentem in iure suo predicti hospitali pauperum donavimus. His autem prediis, que subtus notari fecimus, sepe dictus prepositus et cancellarius de suo legitime conquisitis predictum senodochium pauperum dotavit tribus videlicet mansis in Diseldesheim, duobus in Ludoldesheim, XXXVI iugeribus in Bethenheim, XL iugeribus in Rothinge, XL iugeribus in Embricke, XXII iugeribus in Escherthe, item XV iugeribus in Embrecke, XXXVI in Macthersehim, XXXIII in Heimerdesdore, in campo sancti Michaelis XII iugeribus, manso uno in Algrimesheim, sex hallis in foro cum omnibus predictarum possessionum utensilibus, areis videlicet silvis pratis pascuis cultis et incultis. Petitionis eius similiter interventu unanimis fratrum consensus firmissima promissione constituit, ut de possessionibus et prediis de communi pecunia emptionis contractu deinceps acquirendis ad idem hospitale decimas debeant sine diminutione persolvere et ut post uniuscuiusque fratrum decessum per continuum anni circuitum defuncti fratris prebende medietas clerico per idem tempus servienti in ecclesia, altera vero medietas ad hospitale usibus pauperum debeat cedere et ut unicuique fratrum morbi vel senii debilitate confectorum cum integra stipendii sui perceptione ad ipsam domum pauperum deinceps liceat, si voluerit, absque omni contradictionis impedimento transire. Curam vero ac dispositionem hospitalis et pauperum ponendi sacerdotem et statuendi procuratorem omnemque ibidem agendorum administrationem Ekkehardo maioris ecclesie decano cunctisque illi in officium decanie in posterum rite substituendis sui constructoris domni R.